

E.13, num.31.

DISSE^TAT^O IN AVGVRALIS JVRIDICA,

DE
EXPOSITIONE
VASIVM AENEORVM
AD FORES TEMPLI

QVAM
CONSENTIENTE
ILLVSTRI FACVLTATE JVRIDICA
IN PER-ANTIQUA ACADEMIA ERFORDIENSI,
SVB PRÆSIDIO

VIRI MAGNIFICI, PRÆNOMIBILIS ET CONSULTISSIMI,

DN. CONRADI WILHELM^I
Strecker/

JCTI, JVRIDICÆ FACVLTATIS ET JUDICII ELECT. PROVINCIAL. ASSESS.
COD. PROF. PVBL. ORD. CIVIT. STND. ET CONSULIS
PRIMARII,

PRO GRADV DOCTORALI
SVMMOS IN VTROQVE JVRE HONORES ET PRIVILEGIA
DOCTORALIA ADIPISCENDI,
PVBLICO ERVDTITORVM EXAMINI SVBFICIT

A V T O R,
STEPHAN FERDINAND Sichtner/

Aldorfianus,
SERENISSIMO BRANDENBURGICO ONOLDINO MARCHIONI
A JVSTITIAE CONSILIIS.

IN AUDITORIO JVRIDICO COLLEGII MAJORIS
DIE XXVI. AVGVSTI, M DCC XXXVII.

ERFORDIÆ, Typis HERINGII, Acad. T. 1737, 14



IMPERIIS ROMANIS ET ROMANIS

EXHIBITIONE MUSEI LUDVICO MURAY AD FOTER HENRI

CODICIS

IN VITRINA LIBRARIA ACADEMICA

DR CORNARDI / HENRI

ZUERICH

1706. 1707. 1708. 1709. 1710. 1711. 1712. 1713. 1714.

DR CORNARDI / HENRI

1706. 1707. 1708. 1709. 1710. 1711. 1712. 1713. 1714.

DR CORNARDI / HENRI

1706. 1707. 1708. 1709. 1710. 1711. 1712. 1713. 1714.

1706. 1707. 1708. 1709. 1710. 1711. 1712. 1713. 1714.

1706. 1707. 1708. 1709. 1710. 1711. 1712. 1713. 1714.

1706. 1707. 1708. 1709. 1710. 1711. 1712. 1713. 1714.



J. J.

DE

EXPOSITIONE VASIVM AENEORVM AD FORES TEMPLI.

§. I.



Pse Deus, supremus rerum omnium moderator & arbiter, olim jam constituit, ne quis vacuos adpareat in conspectu Ejus. *Exod. XXIII. 15.* & *Num. VII. 11. sqq.* singuli duces per singulos dies offerunt munera in dedicationem altaris. Quamvis vero istæ oblationes V. T. faciendæ Deo ob immolationem servatoris nostri Jesu Christi una cum reliquis sacrificiis judaicis & lege ceremoniali cessaverint, nec præceptum illud de oblationibus Christianos amplius stringat. *WILDVOG. de oblat. c. 1. §. 4.* Non tamen cessant Eleemosynæ in sustentationem pauperum, quos quotidie nobiscum habemus, quorumque causam Deus agit, & oblationes spontanæ in sustentationem, reparacionem & extrictionem ædificiorum honori divino inservient fieri solitæ.

A 2

§. II.

§. II.

Varie autem pro varietate locorum ejusmodi oblationes sunt, dum pauperes vel nomine Ecclesiae colligentes certis litteris ac libellis petitoris eum in finem exaratis instructi ostiatim percurrent civitatem præprimis alienam, vel dum pii misericordes in clausas pyxides parietibus templorum aut diversiorum adfixas pecuniam immittunt, vel dum populus auditor durante cultu divino publico injicit die festo in sacculum sonantem eapropter a custode vel alio circumlatum, vel dum ad fores templi publice exponuntur vasæ ænea, ut populus extens post sacra peracta injiciat numeros, quot lubet, & quæ sunt hujus generis methodi plures, de quibus singulis agere, quarumve prolixam comparationem inter se instituere, & determinare proportionem, quibus una species alteram vincit, nec animus, nec otium nobis est. vid. WILDVOG. diss. de oblat. quæ sunt per sacc. son. c. I. §. XI. Discursus noster, quem Tibi, B. L. præsentibus hisce paginis sistimus, illas solum oblationes, quas ultimo nominavimus loco, quæve per expositionem vasorum æneorum sive concharum ad ædes templi sunt, attinget. Sit Deo moderante felix ingressus, felicior progressus, & felicissimus egressus.

§. III.

Notoria non egent probatione, & quæ per se jam clara, non ampla discussione. Omissa ergo definitione nominali verborum in rubro occurrentium, notamus solummodo, ut aliqualem rei præmittamus ideam, expositionem concharum ad fores templi esse ex usu loquendi actum, ubi vasæ ænea vel alia auctoritate magistratus publica ante portas templi exponuntur ad colligendas pecunias a Christianis exequentibus sponte offerendas pro sustentatione pauperum & personarum miserabilium, nec non reparacione templi aut ad alium pium usum erogandas.

§. IV.

§. IV.

Esse hanc methodum colligendi Eleemosynas & oblationes fidelium ad p. c. non inventum nostri ævi, sed morem in Ecclesia Israelitica V. T. jamjam cognitum & repertum, loquitur S. Scriptura. Adeat, qui dubitat, Biblia, & evolvat 2 Reg. XII. 9. Ibi enim expressis verbis dicitur, Pontificem Jojadam consentiente rege posuisse ad aram prope templi januas cistam, in parte superiore perforatam, ut in illam injiceret populus numos, oblationes spontaneas. Hac vero repleta venisse scribam regis, cistam præsentibus Levitis ac Sacerdotibus aperuisse, pecuniam numerasse, & loco mercedis inter opifices refactioni & reparacioni domus sacræ rui-nosæ & collapsæ operam dantes, distribuisse. Et quid prohibet hoc suo modo & referre oblationes illas a populo Israelitico ad reparationem collapsi templi Salomonis Efr. II. 68. & extictionem sancti tabernaculi Exod. XXXV. 20. sqq. XXXVI. 2. sqq. olim factas. Quamvis enim tunc vasæ ænea non ad templi fores vel in ejus aditu exposita fuere, fuere tamen alibi in loco publico, sub diu scilicet, ad usum pium, ad causam sacram apposita. Non enim, ut facile est ad conjiciendum, aurum, argentum, gemmas projecere in terram, sed potius in vasa eapropter in loco publico exposita. Optaremus, ut hac de re in limine hujus dissertationis paulo amplior disquisitio permitteretur. Sed angustiores præstituti cancelli digressionem prohibent, & relinqueret alia nos jubent aliis, qui ejusmodi studiis atque per-vestigandis antiquis jurium originibus laudabiliter delestantur.

§. V.

Indicant verba definitionis supra a nobis prolata, fieri expositionem horum vasorum seu concharum non auctori-tate privata & pro lubitu quasi unius cuiusvis, sed consen-su & indultu magistratus publici, quem eapropter adeunt egeni hoc beneficium optantes, quem implorant miferi, sub-

A 3

fidium

fidium ita quærentes, cui causam calamitatis, egestatis, miseriae, necessitatis denunciant, indicant, recensent, ejusve veniam seu indultum prolatis argumentis persuasoribus post sufficientem causæ cognitionem, probationem & legitimam demonstrationem exspectant, idque I.) quia non est singularis concedendum, quod publice per magistratum fieri expediat. II.) Ut fraudibus ac technis hominum malevolorum eo magis fenestra occludatur, obviam quounque modo eatur, atque obex, in quantum possibile, ponatur: quo plus fraudis enim in negotio quodam presumitur, eo plures cautele in eo adhibentur. BERL. P. III. concl. 7. n. 11. scilicet ne mendicantes callidi, impii & improbi pro lubitu quasi emungant marsupia civium, falsam egestatis, infortunii, calamitatis causam adserentes, simulantes, proferentes, veram & contra reticentes, supprimentes, celantes, aut semet ablegatos peregrinæ civitatis incendio deletæ, inundatione consumtae, Ecclesiæ vetustate collapsæ, perdita, corruptæ, ruinose mentientes, & quod non infrequens, attulata seu mandata spuria producentes, exhibentes, ostendentes, quorum pena post detectum dolum & fraudem est a) ablatio pecuniae ita collectæ, nemini enim malitia sua ita debet esse lucrosa, sed pecunia potius infertur fisco civitatis pauperum, der Armen. Cassen ob presumtam offerentium voluntatem, b) relegatio, ut civitas & provincia malis hominibus purgentur L. XIII. ff. de off. præf. pro re nata cum fustigatio-ne conjuncta, scilicet si ex indicis sat certis, sat claris & evidenter constat, mendacem hunc & plures civitates, Ecclesiæ, communites ita decepisse, multumque pecuniae sub falso tali prætextu & facta pietatis specie collegisse. conf. L. 1. c. f. ff. ad Libr. corn. de fals. Et sane judex maximæ accusandus esset temeritatis, immo iniquitatis, si, qui secundum probata judicare tenetur, Libr. VI. §. 1. de offic. præf. a trahite iniquitatem aberrare, castra nequitatem sectari, & fide habita solius implorantis adserto statim consensum expositioni præbere velit, cum nondum in veritatem petiti, conditionem & statum mendicantis inquisiverit. Non enim sufficit esse in

in civitate jus, nisi sint, qui jus tueantur, & ad societatis accommodent usus L. 13. ff. de O. I. III.) Ut Parochiani scientes hanc expositionem non ex arbitrio iudicis cerebrino, sed juris regalis congruo, id est ex causa legitima, satis, ut decet, cognita, probata, demonstrata, persensa, & perspecta suscipi, nemini quam pauperi misero & egeno vere tali concedi, eo promtiores paratioriesque sint ad inferendum xenia, ad offerendum eleemosynas, ad succurrendum donis & largitione sua adfictis miseris, a quibus ita omnis suspicio sub- & abreptionis remota. GRAMMAT. Conf. 100. n. 22.

S. VI.

Sed cuinam magistratu hæc investigatio cause & subsequens concessio expositionis competit, an seculari, an ecclesiastico? nunc in Quæstionem venit. Et primo intuitu videtur illa tribuenda magistratu ecclesiastico, colligitur enim 1.) ab Ecclesia pecunia, a cœtu fidelium, a parochianis hujus jurisdictioni quodammodo subditis & subjectis: 2.) ad usum sacrum, ad causam piam, scilicet pro exstructione Ecclesiae, reparatione Xenodochii, orphanotrophii, in subsidium pauperum, oppressorum, miserorum, quorum cura & tutela seu custodia æque ad consistorium, quippe judicem spectat ecclesiasticum. Sed rectius meo iudicio sentiunt, qui veniam hic a seculari magistratu petendam, obtinendam & expectandam adserunt. Est enim expositi species quasi collectandi, collecta vero nemo, quam secularis indicit magistratus, dominus scilicet territorialis, possessor regalium & superioritatis, qui supremum in Republica regimen cum fascibus tenet. Nec minus notandum, quod Ecclesia sit in Republica ejusque partem constitut, adeoque is, qui Reipublicæ p̄f̄est, non possit non simul p̄f̄est ecclesiar, eam externe regere, & ex liberrimo arbitrio omnia, quæ ad cultum divinum externum, ad sustentationem clericorum, pauperum & miserabilium personarum, ad conservationem item templorum, scholarum & Xenodochiorum liceat disponere. WILDVOG. de oblat. q. f. per sacc. son. p. m. 31. Disquisitio præterea, num preces

preces veritate nitantur, num rerum status ita sit, num aedes revera incendio consumtae, agri ab hoste, ab aquarum inundatione devastated, implorantes omnibus bonis exuti & spoliati? mere secularis est, nil sacri admixtum habens. Qualis vero causa, talis effectus, talis jus in eo dicens magistratus, seu de ea cognoscens judex. Quibus omnibus accedit auctoritas S. Scripturæ, locus 2 Reg. XII. supra jam excitatus, quippe ex quo patet, non jussu solius Pontificis, sed regis expositionem arcae perforatae ad templi fores factam fuisse. Evolve, si placet, Rom. XIII. ii. Deut. XVII. 18. & adde, quod pecunia ita collecta, si non extra territorium, attamen extra civitatem, urbem, vel pagum efferratur: ast cuius magis interest cives habere opulentos, quam magistratus secularis. Quoad argumenta obstantia vero notandum: non sequitur: res petitur a parochiano, offertur a cœtu fidelium, ergo ejus cognitio spectat ad ecclesiam. Si enim hoc verum esset, nulla actio ex contractu, ex delicto, alibi, quam coram consistorio institui posset contra parochianos, quod tamen nullus uspiam adfirmare, credere aut dicere audebit. Quamobrem & sciens in argumento particulam: quodammodo adjeci. Quo eodem modo & res se habeat quoad alterum argumentum obstantis: quis enim umquam affirmabit, donatio est Ecclesiæ facta pauperi, Xenodochio; ergo cognitio, num sit immoda, num sit inofficiosa, num sit invalida, spectat ad Episcopum? Nonne contrarium satis loquuntur textus Juris civilis de hujusmodi donationum validitate disponentes, statuentes? vid. L. 34. 36. C. de Donat. ibiq. DDr. & Glaß.

S. VII.

Ipsum dissertationis rubrum jam ostendit, locum, ubi vasa exponuntur, esse portas vel fores templi, seu ædium sacrarum divino cultui publica auctoritate ita destinatarum, ut in illis christiani ad verbum divinum audiendum, sacramenta percipienda, aliave sacra officia peragenda conveniant. Neque enim commodior locus huic rei designari potuit, quam ille ipse, in quo homines fidem suam ore & ope-

re

re publice profitentur, atque specimina pietatis palam exhibere satagunt. WILDVOG. d. l. p. 53. Jam si plures templi fores sunt, ante quamlibet sella, & cum sella discus vel concha exponitur, ut sic hic illicue exeuntes oppido ante oculos & ad manus habeant receptacula pia oblationis, nec necesse sit talia cum incommodo alibi querere, quod sane multos ab offerendo retineret, deterreret. Intuitu vero templi, ante cujus fores vasa exponuntur, nil intereat, an sit cathedrale, an parochiale, an mater, an filia, dummodo quodlibet eorum proprios, quibus sacra inibi docentur, administrantur, proferuntur, habeat parochianos, ibi convenire solitos. Si secus & I. eidem populo ante meridiem in matre, post meridiem vel alio tempore in filia, verbum Dei praedicatur & exponitur, expositio valorum in priore facta, in posteriori repeti nequit, ne plus justo exigentes benigna populi auditoris largitione abuti, huicve bilem movere velle videamur. Et sane nota intolerabilis impudentia esset, eundem, a quo nunc accepimus beneficia, paulo post novis precibus & solicitationibus seu exactiōibus vexare, turbare, inquietare, fatigare. Pari modo II.) res sese habet, si magistratus imploratus a misero seu egeno, id non nisi in una saltē ecclesia fieri per litteras patentes, capropter ad loci judicem datas, permisit. Litteras, quas hic ad amissim sequi & servare tenet, ita, ut ne latum quidem unguem ab iis recedere valeat, ni in reprehensionem, immo poenam ob contemptum jussum & mandatum sui superioris incurere velit. Est enim subditus, est inferior, cui parendi, non imperandi, sequendi, non mutandi & resistendi gloria relicta, facultas concessa est. Ejus siquidem officium est interpretari, cuius est concedere leges, subintellige judicis superioris, non inferioris. L. vet. C. de Legib. illiusque qua agentis ultra voluntatem & intentiōnem actus operari non debet. Nec minus si III.) mos hactenus fuerit obtenta ejusmodi venia licet generatim concepta vasa saltē in janua matris exponere. Consuetudo enim recepta, quæ legem imitatur, est optima legum & voluntatis supe.

B

supe.

superiorum explicatio, quam peraque ut legem scriptam ob-servare, judex necesse habet.

S. VIII.

Quod si nunc ad tempus collectae hujus oculos conver-timus, deprehendimus, illas fieri diebus regulatiter festis, sa-criss, dominicis, cultui divino destinatis, post finitum cultum & peracta sacra, cuius rationem vel caussam non difficile erit detegere, consistit namque in eo i.) quoniam tunc paro-chiani, si non omnes, attamen maxima eorum pars, ad ecclesias convolant, eunt, convenient, quibus ita singulis uno actu causa expositionis indicari, venia magistratus in-dulta praegi, dici & cum voto remunerationis divinæ, ut eo promtiores sint ad offerendum, proponi potest. Quam posteriorem ob caussam & patinæ non ante, sed post cultum, & ibi patesfactam demum caussam exponuntur. 2. Quoni-am Eleemosynarum distributiones & sacrificiorum Deo ac-ceptorum oblationes uti quovis, ita præprimis die domini-ca vel Sabbathi peragere decet, convenit, fas & æquum, immo rationi & pietati conveniens est. Hinc in CONCILIO MATISCONENSI II. A. 188. C. 4. statutum legitur, ut omni-bus dominicis diebus altaris oblatio a viris & mulieribus offe-ratur. WILDVOG. d. dist. p. 11. §. 6. Exponuntur vero regu-lariter post saera antemeridiana seu matutina, idque ideo, quoniam his major interest numerus parochianorum, quam cultui pomeridianu seu post meridiem & tempore vesper-ni instituto, ubi multi desidia, luxu, avaritia seducti, loco Ecclesie lectum, diversoria, agros querunt, petunt, circum-eunt, circumvagantur. Quo numerosior vero est cœtus, eo ponderosior est collecta, cum unus alterum allicit ad mitandum, ad offerendum, ad injiciendum, & concordia-ja collectione plurium res ceteroquin parvæ crescant in im-mensum.

§. IX.

§. IX.

Persona illa jussa ex auctoritate magistratus exponens est ædituus vel custos templi, aut nonnumquam rerum ecclesiasticarum inspectoꝝ seu ephorus, der Kirchen-Pfleger, qui, illis expositis, non adstant, sed semel recipiunt in templum, scilicet ut eo liberius sit arbitrium inferendi, dum nemo videt, quod quisque intulerit, quam Deus. Pertinent enim oblationes Eleemosynarum ad ea opera, quaꝝ a manu dextra, nesciente sinistra, id est clam & semotis, quantum fieri potest, testibus seu arbitris, fieri debent, fieri consueverunt, hominumque conspectum fugiunt. Oblatione vero peracta conchas pecunia repletas præsente iidem recipiunt, tollunt & auferunt, oblatas vero vel eorum contenta magistratus tradunt, ut hic oblatæ pauperi imploranti, vel Ecclesie rui-
nose, caussa sine qua non, appendat, solvat, distribuat.

§. X.

Cum omnia fere in jure nostro a fine, vi, efficacia & utilitate tua æstimentur L. 104. in f. ff. de V. O. L. 13. §. 3. ff. de Reb. dab. nec nobis vertetur vitio, quod in fine expositionis hujus enucleando operam nonnullam ponamus. Quemadmodum vero expositio hæc presupponit egestatem, paupertatem, miseriam alcerius & calamitatem perpeſam; ita non in favore divitis suscipitur, sed 1.) ut auxilium feratur Ecclesia egenæ, lucrum miser captet, ex piis parochianorum oblationibus, qui exentes pro arbitrio pecuniam iniiciunt, ut his, quorum causa moram non patitur, succurratur, subveniatur quam citissime absque superfluis ambagibus, quippe qui vel horum deputati alioquin ostiatim percurrere parochiam, & collectas non absque incommodo & temporis, quo nihil pretiosius, jactura colligere necesse haberent. Quod enim fieri potest per pauca, non debet fieri per plura. 2.) ut eo liberius sit unius cuiusvis arbitriū dandi, quid & quantum velit; sape enim bilem mōvent, molestiam haud

leuem caussantur mendicantes impudici ostiatim circumuen-
tes, nec redeuntes usque dum avaris & temerariis eorum petitis
ex ase per Xenia largissima satisfactum, &, quantum velint,
datum fuerit.

§. XI.

Ceterum quamvis ratione quantitatis haec oblationes sint
spontaneæ, dum descendunt ex obligatione imperfecta, i. e.
tali, ad quam invitus per media compulsofria extera adigi
potest vel minime, & vel si mavis ex officio humanitatis,
quod nusquam in necessitatem & jus perfectum est mutan-
dum, ideoque ab unius cuiusvis rogatorum arbitrio ac pudo-
re quasi dependeat, quot numos inferre velit: Non tamen
ratione qualitatis sunt arbitrariæ, sed ex consuetudine inver-
terata, quæ legis vim obtinuit, debent fieri pecunia numerata,
quinto seculi hujus elementio, idque ideo, quoniam hujus
ope 1.) restauratio & perfectio seu reparatio ædium exustar-
rum, deletatum, collapsarum & corruptarum fieri potest
quam facillime, quam citissime. 2.) oppressis succuri potest
quam optime. Pecuniae enim obediunt omnia, & auro vene-
lia quævis. 3.) pecunia pro exteris collecta commodius
transferri potest, quam alia res oblata, & quidem proba, non
adulterina. Quemadmodum enim in omni negotio, ita præ-
missis in oblatione nostra dolus abesse debet. Caveant ergo
improbi, ne ex calumnia, ex avaritia, ex nequitia numos
adulterinos pro probis, falsos pro veris, cupreos pro argenteis
inferant, & Dei supremi, miserabilium tutoris ac protec-
toris, vindictam sat gravem, sat asperam, excitent, provo-
cent.

§. XII.

Intuitu caussarum, in quibus vel ob quas expositio talis
conceditur, notandum est, illas esse pias, vel publicas, vel
privatas, salutem scilicet Ecclesiae, templi, facilli publici vel
pau-

pauperis privati, quibus damnum revera datum & illatum, concernentes, requiritur ergo 1.) ut damnum revera sit datum & illatum, hinc ob damnum aliquod futurum, immens vel instans saltem periculum tale quid a superioribus non permittitur, cum moris non sit, principibus jus suum, & parochianis pecuniam absque causa auferre L. 4. de emancip. præterea incertus sit hujus eventus, timorem vanum & impetustum haud raro teste experientia defituent. Non entis vero nullæ sunt affectiones, & ad esse a posse non valet consequentia. Taceo, quod nimis molestum foret, immo impossibile, casu non secuti damni acceptum repetere, & inter offerentes, qui hoc illucve interea diffluxerunt, singulatim pro rata collationis iterum distribuere. 2.) ut damnum sit casuale, non culposum, quod si enim culpa, desidia ac negligencia possidentis propria, damnum illatum, incendium, v. g. ortum ædes privati consumserit, poenam, non gratiam meretur delinquens, & indignus est civium vicinorum ac parochianorum beneficio, qui contra juris normam, horumve salutem ac incolumitatem ita peccavit. Accedit, quod jura subveniant deceptis, non decipientibus, læsis, non lædenti bus, factum cuique suum, non tertio, non parochie, non eocui fidelium, nocere debeat, ne alii ad delinquendum insitentur, a quo retinere homines, consultum, utile & proficuum est. Quodsi aliena culpa, sorte vicini, tale quid acciderit, pariter inconsultum foret petere sumitus reparationis a parochianis, quos facili negotio & ipso jure jubente, restituere ac refundere necesse habet vicinus, danni causa sine qua non. Dummodo, quod excipias velim, actio aduersus eum instituenda non sit inanis ob res angustas domi, quod idem iudicium & in ædificio publico, incendio consumo, esto. Quamdiu enim quispiam dolosus vel culposus incendiij autor adest, & solvendo existit, non vexantur exactione hac parochiani, sed ex delinquentis incendiarii opibus resarcitio danni petitur, deducitur, hauritur justissime. Ceterum non omnes tractaturi sumus hac vice caussas, quæ commovere

possunt, & commovere solent judicem ad expositionis concessionem, quoniam hic labor plane infinitus efficeretur, si quidem non omnibus eadem erit caussa impulsiva concedendi, sed eas tantum, qua frequentiores esse solent, quæve quotidie fere occurrent.

§. XIII.

Caussa itaque publica, pia, elargitiones istas exposcens, est Ecclesiarum egenarum reparatio & refectio. Juris equidem alias est, ut ecclesiam extruens illam simul dote seu dote congrua instruat, ut scilicet in casu subsecuturæ aliquando ruinæ, corruptionis, vel consumtionis, habeat, unde sumtus reædificationis & reparations petere, haurire & obtainere queat, ita ut episcopus in extirptionem Ecclesiæ prius consentire non soleat, quam de dote ad conservationem ecclesiæ ejusque ministrorum necessaria constet. WILDVOG. d. l. C. 7. §. 2. Sed ecce, & hæc dos nonnumquam injuria temporis perit, consumitur, & ita ecclesia ad paupertatem redigitur, ut sibimet ipsi succurrere, & ex propriis sumtus reparationis necessariæ suppeditare queat vel minime. Quid autem hoc in casu æquius, quam ut illi ruinæ, combustæ, collapse, aut alio modo deterioratae, vitiatae & corrupta, per expositionem nostrorum vasorum succurratur, auxilium ad instar moris in ecclesia V. T. recepti, & supra jam adducti, præbeatur, non solum a parochianis ipsis sacra in illa percipientibus; sed & si hi non sufficiunt, a vicinis, ab aliis, per litteras patentes & alegatos desuper imploratis, in subsidium vocatis. Quorum episcopus, princeps & dominus territorialis, ut in casti simili idem sibi suisque fiat ecclesiis, eo promptior paratiorque ad concedendum & permittendum expositionis actum esse solet.

§. XIV.

Contingit quotidie, ut qui per amplum temporis spatiū, sanam spiravit animam, vetustate seu senectute & lon-

longa annorum serie onustus, ad corruptionis & morbi seu
valetudinis adversæ perveniat pericula: ita ut vires ejus ad-
tritæ ad quærendum modo consueto, labore scilicet, panem
& viçtum quotidianum, amplius non sufficiant. Senectus
enim ut juventutem sequitur, sic debilitas virium ipsa sequi-
tur senectutem, deperditque annorum tractu omnem vi-
gorem: defunt opes, deficiunt bona, ex quibus alimenta
haurire, nutrimenta capere possit. Alio ergo modo ut ipse
cum paupertate luctanti succurratur, recipit eundem magi-
stratus in ædificia publica, xenodochia puta & nosocomia,
eum in finem extructa, fundata, composita. Sed ecce, &
hac una cum alumnis ætate corrumpuntur, annorum serie
longæva & vetustate deteriorantur, flaminarum furore ac
rabie absumuntur, combusta vero & collapsa reparatione
egent, judicem, ut restituat, implorant, cuius expensæ, si
dos adest vel filius xenodochii, hujus ex fonte hauriuntur.
Si deficit, aliunde & in specie per expositionem concharum
indeque collectas pecunias reparantur, reficiuntur, pristinæ
integritati, statui, & conditioni redduntur per liberales fide-
lium in subsidium vocatas oblationes, videlicet annumeran-
tur xenodochia rebus ecclesiasticis, referuntur quoque inter
bona cultui divino inservientia. conf. I. P. IV. §. 5. n. 9. ibi ho-
spitalia aliaque bona ecclesiastica. L. 23. L. 32. § 35. C. de epist.
§. cler. & pia, christianæ pietati congrua, dicitur cogitatio,
quæ illis succurrere studet, opera misericordiae ita exercere
cupit. Quid? quod ejusmodi hospitalia ecclesiis & illarum
causis favorabiliora esse consuluit. Ruin. referente TREV.
L. 1. de Rescr. Resol. 4. n. 2. in f. LAVTERB. difl. de domic. pau-
per. §. 12.

§. XV.

A caussa publica ad privatam provehor. Ubi merito
de incendio ordior, quippe caussa expositionem hodie præ-
ceteris admittente, concedente, tribuente afflictis. Enim
vero flamma, cuius incolentia neglecto ordine & differentia
pol-

possessorum, quidquid ambitu ejus involvitur, rapit, s^epilime spreta omni resistentia & custodia, ex Croeso facit Irum, ex divite pauperem, ex paupere oppressum, miserum, calamitosum, cui ob ademta bona nunc de aliis mediis salutis & sustentationis circumspiciendum. Exponuntur ergo ad ejus instantiam *vala*, monentur pii parochiani ad offerendum, penduntur adflicto collecte, ut habeat, unde re^adificet, reparat, restituat domicilium, casam, aedes, domum, civitatis ornamentum, pagorum decus, hominum receptaculum, animalium tutamen contra ventorum & tempestatis injurias.

§. XVI.

Quamvis vero ecclesiae & xenodochio vetustate ruinosis per expositionem vaferum succurratur: non idem tamen indulgetur privato, cuius aedes vetustae ruinam minantur; sed hic compellitur potius ad vendendum diviti cuidam, qui absque molestia parochianorum propriis sumitis reparacionem luscipere & peragere, qui expensas reparations ex suis bonis solvere valet, ne absque causa, ubi adeat remedium ordinarium confugere velle videamur ad extraordinarium & subsidiarium. Quod cum securus sese habeat in ecclesis & xenodochiis publicis vel ideo, quoniam horum translationem in manus alienas salus publica prohibet, conservationem econtra in Republica seu hujus dominio, pietas & communis omnium utilitas efflagitant: facile est ad conciendum, cur ob harum ex vetustate ortam corruptionem concederimus expositionem. Accedit, quod possessor ædificia ruinosi privati, non fortuito, sed proviso adficiatur damno, tela vero prævisa minus noceant. Sive enim titulo emtionis, sive jure hæreditario tale ædificium, vel ejus possessionem nactus, utroque in casu sibi potius prospicere, de re ob vitium internum pro viliori pretio æstimanda. Quod si omiserit, culpa est ejus, habet, quod sibi imputet, & consequenter damnum, quod ita sentit, sentire non videtur. Sunt enim jura vigilantibus scripta.

§. XVII.

§. XVII.

Unius positio, non est alterius exclusio, sequitur ergo alia expositionis causa, scilicet inundatio, seu damnum adfictis agrorum possessoribus per excessum aquæ, rivi, flu-minis, stagni, absque sua culpa, casu & infortunio datum, allatum, caussatum. Imbres enim insoliti, dum per longum tempus durant, augent undas aquarum, illas superinducunt, spredo vallo, spreta industria & resistentia ac pro-videntia humana, agris, pratis, campis, omniaque tanto impetu dum irruunt, devastant, ut nulla vi humana vel per momentum quidem se retardari patientur, sed premendo simul opprimant tam debiles, quam robustos, subitaneum inferant exitium, ædes corrumpant, bona, opes, bestias, immo homines secum natantes auferant, ablatos suffocent, extinguant, perdant, miseriamque possessoribus gravissimam caussentur, ita, ut, ni subveniatur aliunde, per oblationem scilicet piam depresso, ipsi mendicantes agere non absque Reipublicæ damno, cuius abundare hominibus interest, emigrare, agros ceteroquin fertilissimos, vineas frugiferas deserere, prata inculta relinquere necesse habeant. Quæ omnia perpendens secum judicis prudentia, imploranti non denegat subsidium charitativum, sed a parochianis dictam oblationem per expositionem concharum exposcit, quo in ditione adficti manere, bona & prædia paterna seu avita liberi ex voto parata, hæreditario jure in illos translata, in statum pristinum restituere, restituta possidere, fructus, emolumenta & vita subsidia inde quererere, onera publica, steu-ras scilicet & collectas, inde solvere, ac incolumentatem pu-blicam tueri valeant.

§. XVIII.

Verum enim vero non solum flammæ, casu ortæ, atrocitas & aquarum fæviens inundatio ædificia destruit,

C

pos-

possessoribus agrorum calamitatem adfert, bona eorum affert, & consumit; sed & alia externa violentia inopinata paupertatem quandoque accelerat, hostium v. g. irruptio & deprædatio, ubi opes multo labore comparatæ spolianti in prædam cedunt, possessores nudi & exuti bonis, salutem in fuga quærere coguntur, cujusmodi afflictis pari modo, ut superioribus, succurritur. Eadem enim miseria hos premit, eadem paupertas hos angit, eadem ratio, ut his succurratur, suadet, præprimis si olim fuerunt homines probi, cives pii ac industrii, qui ita soli quasi loco, omnium bello petitorum concivium, hostium manui rapaci ac violentæ expositi, bonis spoliati, opibus exuti, salutem in fuga quærere, domicilia relinquere ac semet aliorum conferre necesse habuerunt, coacti fuerunt.

S. XIX.

Quorum exemplo & illis succurrere æquum est, qui non barbarorum, sed concivium manu, tempore pacis ob dissensum, quem fovent religionis, turpiter ejecti ex provincia patriæ, aliorum bonis omnibus post se relictis migrare non absque gravi & duro incommodo, necesse habuerunt. Quid enim homini glebae suæ addicto ut plurimum acerbius aut molestius accidere potest, quam si patriam cum bonis linquere cogatur, & quod doloris plenum dixeris, indignus judicetur, cui in civitate locus amplius concedatur? taceo quod exilium paupertas & summa comitetur miseria, quæ homines sæpiissime ita excruciant, ut in præsentissima mortis incident pericula, morborum sentiant incommoda, debilitates patientur virium. Exempla, quorum nostra vidit æras, haud ita pridem in magna exultantium juniorum & senectute onustorum turba, quorum pressorum tam in opia, non privati solum & fidei socii, sed, quod cum laude evehendum, & alii principes ac proceres religioni catholicæ addicti, largissimis oblationibus tam nostra, quam alia

alia methodo, subvenerunt, succurrere jusserunt, quibus
Deus benedicat.

§. XX.

Referendi hue sunt & alii casus fortuiti ex quacunque caussa bonis & fortunis miserabilium exitium inferentes, quos tamen ob brevitatis antea adductam rationem omnes adducere, singulos curatus perquirere, persequi & recensere ad finem festinans lubens supersedeo, notans solummodo, hos variare pro loci, temporis & personarum varietate, mirifice. Quam probus iudex ex omnibus circumstantiis prudenter cestimabit. illud adhuc notandum restat in casu, ubi funus juvenis vel annorum gravis lenis ducitur, huic, qui morte succubuit, exequiae parantur, supremum defuncto persolvitur officium, ex laudabili locorum quorundam conuentudine conchas nostras exponi ad offerendum, ut mortalitatis cogitatione tacti homines, etiam alioquin avari, liberales se praebeant, & in commodum proximi vel ecclesiæ donationes sat opulentas, sat ponderosas faciant, videndo nec sibi aeternam sedem in terris, sed scenam hucusque ex voto lusam aliquando commutandam, ipsis ex ludo profugendum, & sequentibus stationem, locum bonis & opibus relinquendum esse. Corporis enim indoles, licet robustissima, temporis tamen acutissimo dente sensim arroditur, tandemque penitus conficitur, cadit, perit. Viget vero talis mos in terris Magdeburgicis. Ita enim in ORD. ECCLES. DVC. MAGDEB. t. 25. §. 4. legitur: Also wird dasjenige den Armen-Cassen gelassen, was bey Erbtheilen . . . und sonstigen in den Becken und Kästlein vor den Kirch-Thüren und Kirch-Höfen bey Leich-Begängnissen gegeben und eingelegt wird. Nec non in terris Saxo-Gothanis test. ORD. ECCLES. SAX. GOTH. P. I. C. 6. tit. 3. Auch bey Hochzeiten . . . se dann bey Leichen-Bestattungen Becken zu Sammlung des Allmosen gesetzet werden sollen, wo sie allerdings im Schwane-

ge, darinnen zu erhalten, im übrigen aber nochmals von neuem hineinzubringen.

§. XXI.

Excussa causa, quæ ansam expositioni præbet, superest, ut de privilegiis vasorum ita expositorum adhuc dispiciamus paucissimis. Quemadmodum vero res pia, quorum numero & eleemosynæ aliaeque pia fidelium oblationes sunt, uti patet ex O. Cr. art. 173. ibi: *Das heilige Allmosen, extra communis juris regulas, specialibus privilegiis vallata sunt, ita horum quædam adducere non intempestivum erit. Quodsi ergo quis numerorum splendore allectus aliquid ex conchis abitulerit, nefarie contrectaverit, & ecclesiam vel pauperes, quorum in commodum exposito facta, læserit, ut sacrilegus coercetur pena judicis arbitraria, quæ pro re nata ad mortem, laquei scilicet poenam, extendi potest, si pecunia ablata contineat sive sub se comprehendant summam 5. solidorum. O. Cr. art. 172. ibi: tapffere Stücke. BOEHMER. Diss. II. de var. sacril. spec. ex ment. jur. can. §. 15. non attenta personarum differentia, an auferens sit custos, an ablegatus ad colligendum emissus, an praefectus seu curator ecclesiæ, der Kirchen-Vorsteher, Kirchen-Pfleger, an extraneus quicunque. Qualitas enim personarum in dictamine poenarum certeroquin attendenda quam maxime cessat in sacrilegis, ob speciali rebus sacris indulunt privilegium: BOEHMER. d. l. scilicet ut eo magis discant homines a tali facto temerario, non solum jura scripta, sed & pietatem & conscientiam lædente, abstinere. Patet vero ex dictis, consultum esse, ablegare ad recipiendum collectas hominem fidelem, pium, probum ac integrum, cuius fama non vacillet, nec macula ulla aut prava suspitione laboret, quo facilior enim nostro in casu adest occasio decipiendi ac defraudandi miseris, quorum in commodum exposito facta, eo magis circumspectione in electione collectoris opus est. Quænam vero fides, quænam dexteritas,*

qua-

quænam integra, sincera & liquida oblatorum traditio seu translatio ab illo foret exspectanda, qui abjecti & levissimi animi, qui avari & impii pectoris, qui flagitosus, improbus, nequam, scelere alio suspectus, & de factis probrosis ab illo commissis convictus? semel enim malus semper presumitur talis. Quam ob rem & haud raro in casu, ubi pro extraneis collecta pecunia ablegato seu missionario ad transferendum datur, ipsi insimul tessera publica, summam collectam recensens, traditur, aut, quod frequentius, in album, quod secum fert, scribitur manu judicis & magistratus publici loci, ubi collecta instituta, adpensa, numerata fuit. Sed quodsi ablegatus a civitate ad colligendum alibi & transferendum oblata non abstulerit nec retinuerit quid ex pecunia oblata, ast luxuriose vivens plus justo singulis diebus consumserit, poena afficitur arbitraria, carceris scilicet vel multæ, insimulque ad refundendum inique consumptum compellitur. Quemadmodum vero consultius est, iura ab infamia intacta servare, quam post vulneratam causam remedium querere: ita rectius facit judex vel populus, qui cum ablegato de victu vel alimentis quotidianis transigit ipsive mediante pacto, quantum singulis diebus capropter deducere ac retinere debeat, concedunt. Dass sie ihm seine Däden - Gelder ordentlich zuvorhin ausmachen. Conventionem quam negligere vel exceedere ipsi non licet, nisi justa & præguanti ex causa, puta si morbo absque sua culpa succumbens, cibis laetioribus una cum medicamentis & pharmaciis uti necesse habuerit, si propter viarum publicarum per inundationem corruptarum, omissem hucusque reparacionem, majorem mercedem solvere aurigæ, vectori coactus fuerit, & quæ sunt generis hujus exceptiones plures, excessum pacti conventi, summae stipulatae, seu in stipulatum deductæ & promissæ, ne ablegato officium suum sit damnosum, permittentes, concedentes, efflagitantes, jubentes.

§. XXII.

Illa per quam rara est divitum erga pauperes munificentia, magnam & immodicam auri vel argenti summam conchæ inferens. Interim si quis misericordia ductus summa solidorum excedente, vel litteras cambiales tot solidorum continentis de facto projecerit in patinam, nullum est dubium, quin donatio hæc etiam absque insinuatione subsistat, firma sit ac valida. arg. L. 34. C. de don. ibique DDr. L. 36. C. eod. ibique Glossa. A regulis juris communis quoad hunc casum eo magis excessæ, quoniam omnis suppicio dolosæ persuasionis, concusſionis vel compulſionis adest, & contra liberrimum pii offerentis arbitrium adest. Ubi enim cessat cauſa legis & deficit, ibi & cessat ſat diſpositionis prohibitive effectus. BRVNNE. ad L. 14. C. de SS. Ecclef. Taceo, quod hæc donatio non sit ſimplex, ſed remuneratoria. Fit enim pauperi, fit Ecclesiæ & per hos Deo ter omnipotenti, fonti, distributori & largitori omnium bonorum, opum ac divitiarum, a quo offerens ablata accepit, alia horum loco poſtea recipere exſpectat, ſperat, conf. TIRAQ. de priv. p. c. 124. PEREZ. add. L. Cod. n. 34.


§. XXIII.

In limine constitutum remoratur adhuc mos quorundam locorum, ubi quovis die ſacro poſt finitum cultum divinum ad portam, januam, ſeu introitum templi ſtat custos vel aliud quispiam, manu tenens concham, diſcum vel capsulam, in quam proſicunt exēentes poſt inter pauperes diſtribuendos numos, qui & ſingulis offerentibus gratias agit, & remunerationem beneficij ſeu eleemosynæ a Deo exſpectandam precatur, quod non inconsultum, immo priori quodammodo præferendum eſt. Magis enim per gratiarum actionem cum voto benedictionis ſeu remunerationis divinæ coniunctam, in continentि ita factam, homines ad offerendum allici-

alliciuntur. Taceo, quod dicant ita alii, numos adulterinos pro bonis injicientes, abstinere a fraude, metuentes, ne, in continentia detrecta avaritia, ipsis paria penes alios contemtum haud levem. Quotidiana namque experientia docet hoc tempore, ubi in puto demersa est pietas christiana, loco humorum, quam sepiissime lamellas stannicas, calculos, lapillos, alias res nauci a maleferiatis hominibus ludibrii, nequitiae & avaritiae causa immitti. WILDVOG. d. I. C. 4. §. 2. quibus fraudibus & illusionibus ut hoc in passu eo rectius obviandum eatur, pars capsulae superior, qua pecunia injicitur, lamina nonnumquam ferrea, cuprea, vel argentea testa seu clausa, modico tantum spatio ad recipiendos nummos relictio.

§. XXIV.

Habes, L. B. quæ de expositione concharum ad fores templi hujusque indole & usu pro ingenii modulo commen-
tari potui, volui. Plura equidem adhuc addi possent, ve-
rum nos in præsens in claufulis frequentioribus tantum sub-
sistere voluimus, reliqua accuratori aliquando pertractatio-
ni reservantur. Filum itaque abrumpens dico laudes
immortales Deo immortali.



ULB Halle
002 490 110



3

f
S6.



8	
7	
6	
5	
4	
3	
2	
1	
Centimetres	
1	
2	
3	
4	
5	
6	
7	
8	
9	
10	
11	
12	
13	
14	
15	
16	
17	
18	
19	
Inches	
1	
2	
3	
4	
5	
6	
7	
8	
9	
10	
11	
12	
13	
14	
15	
16	
17	
18	
19	

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Farbkarte #13

6.13, num. 31. 10
DISSERTATIO IN AVGURALIS JVRIDICA,

DE

EXPOSITIONE VASIVM AENEORVM AD FORES TEMPLI

QVAM
CONSENTIENTE

ILLVSTRI FACVLTATE JVRIDICA
IN PER-ANTIQUA ACADEMIA ERFORDIENSI,
S V B P RÆSIDIO

VIRI MAGNIFICI, PRÆNOMBILIS ET CONSULTISSIMI,

DN. CONRADI WILHELMI
Stredfer/

JCTI, JVRIDICÆ FACVLTATIS ET JVDICII ELECT. PROVINCIAL. ASSESS.
COD. PROF. PVBL. ORD. CIVIT. STND. ET CONSULS
PRIMARII,

PRO GRADV DOCTORALI

SVMMOS IN UTROQUE JVRE HONORES ET PRIVILEGIA
DOCTORALIA ADIPISCENDI,
PVBLICO ERUDITORVM EXAMINI SVBÆCIT

A V T O R,

STEPHAN FERDINAND *Sichtner/*

Aldorfianus.

SERENISSIMO BRANDENBURGICO ONOLDINO MARCHIONI
A JVSTITIAE CONSILIIS.

IN AUDITORIO JVRIDICO COLLEGII MAJORIS
DIE XXVI. AVGUSTI, M DCC XXXVII.

ERFORDIÆ, Typis HERINGII, Acad. Typogr.

